

in utroque iure cum omnibus gratiis, privilegiis et immunitatibus a dive memorie imperatoribus et regibus Roman(orum), predecessoribus [nostris], indultis doctoribus et scholaribus hactenus studium generale. Cuius supplicationibus annuentes et attenta deliberatione advertentes, quod prefate ecclesie dominium in metis Alemannie, Ungarie, Sclavonie atque Italie consistit quodque ad dominium patriarche predicti scholares facilius et securius ac minori expensarum profluvio quam ad partes posteriores Lombardie possunt accedere, ad precum eiusdem patriarche, principis et fratris nostri, instantiam studium generale, ut premittitur, auctoritate regia Roman(a) in dicta civitate Austria, terra insigni et fertili, concedimus et instituimus de regia clemencia et gracia speciali, volentes et regio statuentes edicto, ut omnes doctores, rectores et scholares ibidem studio degentes huiusmodi omni securitate omnibusque libertatibus, privilegiis, immunitatibus, gratiis et favoribus alias talibus ex imperiali seu regali concessis munificencia gaudeant et libere pociantur, quodque doctorari volentes ad id se facultate offerente sub ipso patriarcha vel eius successoribus, quos volumus huiusmodi honore et prerogativa potiri, cum solennitatibus debitis et consuetis in talibus honorem suscipiant doctoratus. Presentium sub testimonio litterarum, quas ad perpetuam rei memoriam nostre maiestatis typario iussimus communiri.

Datum Prage, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, Kalend. Augusti, indic(tione) sexta, anno regnorum nostrorum Roman(i) octavo, Boemie vero septimo.

---